Zeitschrift: Schweizerische Kirchenzeitung : Fachzeitschrift für Theologie und Seelsorge

Herausgeber: Deutschschweizerische Ordinarienkonferenz

Band: - (1900)

Heft: 46

Heft

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Mehr erfahren

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. En savoir plus

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. Find out more

Download PDF: 08.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, https://www.e-periodica.ch

№ 46 — 1900 Schweizerische 16. November

Kirchen-Zeitung

Abonnementspreise: Franko durch die ganze Schweiz: Jährlich Fr. 6. —, halbjährlich Fr. 3. —; Ausland (inkl. Frankatur): Fr. 9. — pro Jahr.

Verantwortliche Redaktion: A. Meyenberg, Can. et Prof. theol. in Luzern. | Erscheint jeden Freitag | Verlag und Expedition: Räber & Cie., Buchdruckerei u. Buchhandlung, Luzern.

De Iesu Christo Redemptore.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

[Introitus.]*

[Renovatæ in Iesu vitæ signa: multitudo Romam peregrinantium; multitudo Christum prædicantium. — Pro Christo «maiora conari».]

Tametsi futura prospicientibus, vacuo a sollicitudine animo esse non licet, immo vero non paucae sunt nec leves extimescendæ formidines, cum tot tamque inveteratæ malorum caussæ et privatim et publice insideant: tamen spei ac solatii aliquid videntur haec extrema saeculi divino munere peperisse. Nemo enim existimet, nihil habere ad communem salutem momenti renovatam cogitationem bonorum animi, fideique et pietatis christianæ excitata studia: quas quidem virtutes revirescere apud complures aut corroborari hoc tempore, satis expressa signa testantur. En quippe in medio illecebrarum sæculi ac tot circumiectis pietati offensionibus, tamen uno nutu Pontificis undique commeare Romam ad limina sanctorum Apostolorum multitudo frequens: cives pariter ac peregrini dare palam religioni operam: oblataque Ecclesiae indulgentiâ confisi, parandæ æternæ salutis artes studiosius exquirere. Quem præterea ista non moveat, quæ omnium obversatur oculis, erga humani generis Salvatorem solito magis incensa pietas? Optimis rei christianæ temporibus facile dignus iudicabitur iste ardor animi tot hominum millium una voluntate sententiaque ab ortu ad solis occasum consalutantium nomen laudesque prædicantium Iesu Christi. Atque utinam istas avitæ religionis velut erumpentes flammas magnum incendium consequatur: exemplumque excellens multorum reliquos permoveat universos. Quid enim tam huic ætati necessarium, quam redintegrari late in civitatibus indolem christianam, virtutesque veteres? Illud calamitosum, alios et quidem nimis multos obsurdescere, nec ea, quæ ab eiusmodi pietatis renovatione monentur, audire. Qui tamen si *scirent donum Dei,* si reputarent, nihil fieri posse miserius quam descivisse a liberatore orbis terrarum, moresque et instituta christiana deseruisse, utique exsuscitarent et ipsi sese, certissimumque interitum effugere converso itinere properarent. — Iamvero tueri in terris atque amplificare imperium Filii Dei, divinorumque beneficiorum communicatione ut homines salvi sint contendere, munus est Ecclesiæ ita magnum atque ita suum, ut hoc in opere maxime omnis eius auctoritas ac potestas consistat. Id Nos in administratione Pontificatus maximi, perdifficili illa quidem ac plena curarum, videmur ad hunc diem pro viribus studuisse: vobis autem, venerabiles Fratres, usitatum certe est, immo quotidianum, præcipuas cogitationes vigiliasque in eodem negotio Nobiscum consumere. Verum utrique debemus pro conditione temporum etiam maiora conari, nominatimque per sacri opportunitatem Anni disseminare latius notitiam atque amorem Iesu Christi, docendo, suadendo, hortando, si forte exaudiri vox nostra queat, non tam eis, dicimus, qui effata christiana accipere pronis auribus consuevere, quam ceteris omnibus longe miserrimis, christianum retinentibus nomen, vitam sine fide, sine amore Christi agitantibus. Horum Nos maxime miseret: hos nominatim velimus, et quid agant et quorsum evasuri sint, nî resipuerint, attendere.

* Indices rerum a nobis pro usu potissimum homiletico annexi sunt.

I. Pars.

Iesus Christus Redemptor.

Ignorantia Christi — Scientia Christi, qui est «Dei virtus et sapientia» — De Christo «multa nota nec tamen meditata nec vulgo cogitata» — Christus exspectatus — Christus nobis datus — Iesus instaurator — Iesus redemptor — Recordatio Christi «infinita iucunditas» — Præsentia Christi perfecta suavitas — Separatio a Christi extrema egestas — Finis hominis Deus — Via hominis Christus: docens, mandans, sanans, patiens nobiscum — Natura sola sine Christo — *Ergo Iesus vivit inter nos!*

Iesum Christum nullo unquam tempore nullaque ratione novisse, summa infelicitas est, vacat tamen pervicacia atque ingrati animi vitio: repudiare aut oblivisci iam cognitum, id vero scelus est adeo tetrum atque insanum, ut in hominem cadere vix posse videatur. Principium enim atque origo ille est omnium bonorum: humanumque genus, quemadmodum sine Christi beneficio liberari nequiverat, ita nec conservari sine eius virtute potest. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. 4, 12). Quæ vita mortalium sit, unde exsulet Iesus, *Dei virtus et Dei sapientia,* qui mores, quæ extrema rerum non satis docent exemplo suo expertes christiani luminis gentes? Quarum qui parumper meminerit vel adumbratam apud Paulum (Ad Rom. 1.) cæcitatem mentis, depravationem naturæ, portenta superstitionum ac libidinum, is profecto defixum misericordia simul atque horrore animum sentiat. — Comperta vulgo sunt, quæ memoramus hoc loco, non tamen meditata, nec cogitata vulgo. Neque enim tam multos abalienaret superbia, aut socordia languefaceret, si divinorum beneficiorum late memoria coleretur, sæpiusque repeteret animus, unde hominem Christus eripuit, et quo provexit. Exheres atque exsul tot iam ætates in interitum gens humana quotidie rapiebatur, formidolosis illis aliisque implicata malis, quæ primorum parentum pepererat delictum, nec ea erant ulla humana ope sanabilia, quo tempore Christus Dominus, demissus e cælo liberator, apparuit. Eum quidem victorem domitoremque *serpentis* futurum, Deus ipse in primo mundi ortu spoponderat: inde in adventum eius intueri acri cum expectatione desiderii saecula consequentia. In eo spem omnem repositam, sacrorum fata vatum perdiu ac luculente cecinerant: quin etiam lecti cuiusdam populi varia fortuna, res gestæ, instituta, leges, ceremoniæ, sacrificia, distincte ac dilucide præsignificaverant, salutem hominum generi perfectam absolutamque in eo fore, qui sacerdos tradebatur futurus, idemque hostia piacularis, restitutor humanæ libertatis, princeps pacis, doctor universarum gentium, regni conditor in æternitate temporum permansuri. Quibus et titulis et imaginibus et vaticiniis specie variis, re concinentibus, ille designabatur unus, qui propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, pro salute nostra sese aliquando devoveret. Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecit de sanguine suo, tantoque redemptum

pretio vindicavit sibi genus humanum. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis:... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati* (I. Pet. 1, 18—19). Ita omnes in universum homines potestati iam imperioque suo subiectos, quod cunctorum ipse et conditor est et conservator, vere proprieque redimendo, rursus fecit iuris sui. *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno* (I. Cor. 6, 19—20). Hinc a Deo instaurata in Christo omnia. *Sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* (Eph. 1, 9—10) Cum delesset Iesus chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci, continuo quievere cælestes iræ; conturbato errantique hominum generi antiquæ servitutis liberata nexa, Dei reconciliata voluntas, reddita gratia, reclusus æternæ beatitudinis aditus, eiusque potiundæ et ius restitutum et instrumenta præbita. Tum velut excitatus e veterno quodam diuturno ac mortifero dispexit homo lumen veritatis concupitum per tot saecula quæsitumque frustra: in primisque agnovit, ad bona se multo altiora multoque magnificentiora natum quam hæc sint, quæ sensibus percipiuntur, fragilia et fluxa, quibus cogitationes curasque suas antea finierat: atque hanc omnino esse humanæ constitutionem vitae hanc legem supremam, huc tamquam ad finem omnia referenda, ut a Deo profecti, ad Deum aliquando revertamur. Ex hoc initio et fundamento recreata revixit conscientia dignitatis humanæ: sensum fraternæ omnium necessitudinis excepere pectora: tum officia et iura, id quod erat consequens, partim ad perfectionem adducta, partim ex integro constituta, simulque tales excitatæ passim virtutes, quales ne suspicari quidem ulla veterum philosophia potuisset. Quamobrem consilia, actio vitæ, mores, in alium abiere cursum: cumque Redemptoris late fluxisset cognitio, atque in intimas civitatum venas virtus eius, expultrix ignorantiæ ac vitiorum veterum, permanasset, tum ea est conversio rerum consecuta, quæ christiana gentium humanitate parta, faciem orbis terrarum funditus commutavit.

Istarum in recordatione rerum quædam inest, venerabiles Fratres, infinita iucunditas, pariterque magna vis admonitionis, scilicet ut habeamus toto animo, referendamque curemus, ut potest, divino Servatori gratiam.

Remoti ob vetustatem sumus ab originibus primordiisque restitutæ salutis: quid tamen istuc referat, quando redemptionis perpetua virtus est, perenniaque et immortalia manent beneficia? Qui naturam peccato perditam reparavit semel, servat idem servabitque in perpetuum; *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus....* (I. Tim. 2, 6). *In Christo omnes vivificabuntur....* (I. Cor. 15, 22). *Et regni eius non erit finis* (Luc. 1, 33). Itaque ex æterno Dei consilio, omnis est in Christo Iesu cum singulorum, tum universorum posita salus: eum qui deserunt, hoc ipso exitium sibi privatim coeco furore consciscunt, eodemque tempore committunt, quantum est in se, ut quam malorum calamitatumque molem pro pietate sua Redemptor depulerat, ad eam ipsam convictus humanus magna iactatus tempestate relabatur.

Rapiuntur enim errore vago optata ab meta longius, quicumqe in itinera se devia coniecerint. Similiter si lux veri pura et sincera respuatur, offundi caliginem mentibus, miseraque opinionum pravitate passim infatuari animos necesse est. Spes autem sanitatis quota potest esse reliqua iis, qui principium et fontem vitae deserant? Atqui via, veritas et vita Christus est unice. *Ego sum via, et veritas, et vita* (Io. 14, 6): ita ut, eo posthabito, tria illa ad omnem salutem necessaria principia tollantur.

Num disserere est opus, quod ipsa res monet assidue, quodque vel in maxima mortalium bonorum affluentia in se quisque penitus sentit, nihil esse, præter Deum, in quo voluntas humana absolute possit atque omni ex parte quiescere? Omnino finis homini, Deus: atque omnis hæc, quæ in terris degitur, ætas similitudinem peregrinationis cuiusdam atque imaginem verissime gerit. Iamvero *via* nobis Christus est, quia ex hoc mortali cursu, tam laborioso præsertim tamque ancipiti, ad summum et extremum bonorum, Deum, nulla ratione pervenire, nisi Christo auctore et duce, possumus. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (Io. 14, 6). Quo modo nisi per eum? Nempe in primis et maxime, nisi per gratiam eius: quæ tamen *vacua* in homine foret, neglectis præceptis eius et legibus. Quod enim fieri, parta per Iesum Christum salute, oportebat, legem ipse suam reliquit custodem et procuratricem generis humani, qua nimirum gubernante, a vitæ pravitate conversi, ad Deum homines suum securi contenderent. *Euntes docete omnes gentes:.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis....* (Matt. 28, 19—20). *Mandata mea servate* (Io. 14, 15). Ex quo intelligi debet, illud esse in professione christiana præcipuum planeque necessarium, præbere se ad Iesu Christi præcepta docilem eique, ut domino ac regi summo, obnoxiam ac devotam penitus gerere voluntatem. Magna res, et quæ multum sæpe laborem vehementemque contentionem et constantiam desiderat. Quamvis enim Redemptoris beneficio humana sit reparata natura, superstes tamen in unoquoque nostrum velut quædam ægrotatio est, infirmitas ac vitiositas. Appetitus varii huc atque illuc hominem rapiunt, rerumque externarum illecebræ facile impellunt animum ut, quod lubeat, non quod a Christo imperatum sit, sequatur. Atqui tamen contra nitendum, atque omnibus viribus repugnandum est cupiditatibus *in obsequium Christi:* quæ, nisi parent rationi, dominantur, totumque hominem Christo ereptum, sibi faciunt servientem. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem, non efficiunt ut non serviant...., serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi* (S. Aug. De vera rel., 37). Atque in eiusmodi certamine sic quisque affectus esse debet, ut molestias etiam et incommoda sibi suscipienda, Christi caussa putet. Difficile, quæ tanto opere alliciunt atque oblectant, repellere: durum atque asperum ea, quæ putantur bona corporis et fortunae, præ Christi domini voluntate imperioque contemnere: sed omnino christianum hominem oportet patientem et fortem esse in perferendo, si vult hoc, quod datum est vitæ, christiane traducere. Oblitine sumus cuius corporis et cuius capitis simus membra? Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, qui nobis ut nosmetipsos abnegaremus præscripsit. Ex ea vero affectione animi, quam diximus, humanæ naturæ dignitas pendet ipsa. Quod enim vel sapientia antiquorum sæpe vidit, imperare sibi efficereque ut pars animi inferior obediat superiori, nequaquam est fractæ voluntatis demissio, sed potius quædam generosa virtus rationi mirifice congruens, in primisque homine digna. — Ceterum, multa ferre et perpeti, humana conditio est. Vitam sibi dolore vacuam atque omni expletam beatitate extruere non plus homo potest, quam divini conditoris sui delere consilia, qui culpae veteris consectaria voluit manere perpetua. Consentaneum est ergo, non expectare in terris finem doloris, sed firmare animum ad ferendum dolorem, quo scilicet ad spem certam maximorum bonorum erudimur. Neque enim opibus aut vitæ delicatiori, neque honoribus aut potentiæ, sed patientiæ et lacrimis, studio iustitiæ et mundo cordi sempiternam in cælo beatitudinem Christus assignavit.

Hinc facile apparet quid sperari denique ex eorum errore superbiaque debeat, qui, spreto Redemptoris principatu, in summo rerum omnium fastigio hominem locant, atque imperare humanam naturam omni ratione atque in omnes partes statuunt oportere: quamquam id regnum non modo assequi, sed nec definire, quale sit, queunt. Iesu Christi regnum a divina caritate vim et formam sumit: diligere sancte atque ordine, eius est fundamentum et summa. Ex quo illa necessario fluunt, officia inviolate servare: nihil alteri de iure detrahere: humana cælestibus inferiora ducere: amorem Dei rebus omnibus anteponere. Sed isthæc dominatio hominis, aut aperte Christum reiicientis aut non curantis agnoscere, tota nititur in amori sui, caritatis expers, devotionum nescia. Imperet quidem homo, per Iesum Christum licet: sed eo, quo solo potest, pacto, ut primum omnium serviat Deo, eiusque ab lege normam religiose petat disciplinamque vivendi.

II. Pars.

Regnum Iesu Christi Redemptoris.

Christus non solum naturalia et «legalia» adimplevit sed nova supernaturalia creavit, «quarum rerum caput est ecclesia»: «qui ecclesiam spernit, Christum spernit» — Christus et ecclesia *via*: hominibus privatis et rebus publicis — In ecclesia Christi *veritas* pro nobis est. «captivitas» et «libertas» — Vita solus Deus — *Vita* Iesus Christus «ut nos peccatis mortui, iustitiæ vivamus», «ex fide» — Inde sanatio privatorum et populorum — Alieni a Iesu plerique magis ignorantia quam *voluntate* improba — Ergo: «insculpere in animis notionem et prope imaginem Iesu litteris, sermone, in scholis puerilibus, in gymnasiis, in concione, in omni occasione. «Iura hominis multitudo satis audiit, audiat aliquando de iuribus Dei». *Ergo Christus regnet inter nos!*

Legem vero Christi dicimus non solum præcepta morum naturalia, aut ea quæ accepere antiqui divinitus, quæ utique Iesus Christus omnia perfecit et ad summum adduxit decla-

rando, interpretando, sanciendo: verum etiam doctrinam eius reliquam, et omnes nominatim ab eo res institutas. Quarum profecto rerum caput est Ecclesia: immo ullaene res numerantur Christo auctore institutæ, quas non illa cumulate complectatur et contineat? Porro Ecclesiæ ministerio, præclarissime ab se fundatæ, perennare munus assignatum sibi a Patre voluit: cumque ex una parte præsidia salutis humanæ in eam omnia contulisset, ex altera gravissime sanxit, ei ut homines perinde subessent ac sibimetipsi, eamdemque studiose et in omni vita sequerentur ducem: *qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit* (Luc. 10, 16). Quocirca omnino petenda ab Ecclesia lex Christi est: ideoque via homini Christus, via item Ecclesia: ille per se et natura sua; hæc, mandato munere et communicatione potestatis. Ob eam rem quicumque ad salutem contendere seorsum ab Ecclesia velint, falluntur errore viæ, frustraque contendunt.

Quæ autem privatorum hominum, eadem fere est caussa imperiorum: hæc enim ipsa in exitus perniciosos incurrere necesse est, si digrediantur de *via*. Humanæ procreator idemque redemptor naturæ, Filius Dei, rex et dominus est orbis terrarum, potestatemque summam in homines obtinent cum singulos, tum iure sociatos. *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient* (Dan. VII, 14). *Ego autem constitutus sum rex ab eo ... Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (Ps. 2). Debet ergo in convictu humano et societate lex valere Christi, ita ut non privatæ tantum ea sit, sed et publicæ dux et magistra vitæ. Quoniamque id ita est provisum et constitutum divinitus, nec repugnare quisquam impune potest, idcirco male consulitur rei publicæ ubicumque instituta christiana non eo, quo debent, habeantur loco. Amoto Jesu, destituitur sibi humana ratio, maximo orbata præsidio et lumine: tum ipsa facile obscuratur notio caussæ, quæ caussa, Deo auctore, genuit communem societatem, quæque in hoc consistit maxime ut, civili coniunctione adiutrice, consequantur cives naturale bonum, sed prorsus summo illi, quod supra naturam est, perfectissimoque et perpetuo bono convenienter. Occupatis rerum confusione mentibus, ingrediuntur itinere devio tam qui parent, quam qui imperant: abest enim quod tuto sequantur, et in quo consistant.

Quo pacto miserum et calamitosum aberrare de via, simillime deserere veritatem. Prima autem et absoluta et essentialis *veritas* Christus est, utpote Verbum Dei, consubstantiale et coæternum Patri, unum ipse et Pater. *Ego sum via, et veritas*. Itaque, si verum quæritur, pareat primum omnium Iesu Christo, in eiusque magisterio secura conquiescat humana ratio, propterea quod Christi voce loquitur ipsa veritas. — Innumerabilia genera sunt, in quibus humani facultas ingenii, velut in uberrimo campo et quidem suo, investigando contemplandoque, libere excurrat, idque non solum concedente, sed plane postulante natura. Illud nefas et contra naturam, contineri mentem nolle finibus suis, abiectâque modestia debita, Christi docentis aspernari auctoritatem. Doctrina ea, unde nostra omnium pendet salus, fere de Deo est rebusque divinissimis: neque sapientia hominis cuiusquam peperit eam, sed Filius Dei ipso ab Patre suo totam hausit atque accepit: *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis* (Io. 17, 8). Idcirco plura necessario complectitur, non quæ rationi dissentiant, id enim fieri nullo pacto potest, sed quorum altitudinem cogitatione assequi non magis possumus, quam comprehendere, qualis est in se, Deum At enim si tam multæ res existunt occultæ et a natura ipsa involutæ, quas nulla queat humana explicare sollertia, de quibus tamen nemo sanus dubitare ausit, erit quidem libertate perverse utentium non ea perferre que supra universam naturam longe sunt posita, quod percipere qualia sint non licet. Nolle dogmata huc plane recidit, christianam religionem nullam esse velle. Porro flectenda mens demisse et obnoxie *in obsequium Christi*, usque adeo, ut eius numine imperioque velut captiva teneatur: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2 Cor. 10, 5). Tale prorsus obsequium est, quod Christus sibi tributum vult; et iure vult, Deus est enim, propterea que sicut voluntatis in homine, ita et intelligentiæ unus habet summum imperium. Serviens autem intelligentiâ Christo domino, nequaquam facit homo serviliter, sed maxime convenienter tum rationi, tum nativæ excellentiæ suæ. Nam voluntate in imperium concedit non hominis cuiuspiam, sed auctoris sui ac principis omnium Dei, cui subiectus est lege naturæ: nec astringi se humani opinatione magistri patitur, sed æterna atque immutabili veritate. Ita et mentis naturale bonum, et libertatem simul consequitur. Veritas enim, quæ a Christi magisterio proficiscitur, in conspicuo ponit, unaquæque res qualis in se sit et quanti: qua imbutus cognitione, si perceptæ veritati paruerit homo, non se rebus, sed sibi res, nec rationem libidini, sed libidinem rationi subiiciet: peccatique et errorum pessima servitute depulsa, in libertatem præstantissimam vindicabitur: *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (Io. 8, 32). — Apparet igitur, quorum mens imperium Christi recusat, eos pervicaci voluntate contra Deum contendere. Elapsi autem e potestate divina, non propterea solutiores futuri sunt: incident in potestatem aliquam humanam: eligent quippe, ut fit, unum aliquem, quem audiant, cui obtemperent, quem sequantur magistrum. Ad hæc, mentem suam, a rerum divinarum communicatione seclusam, in angustiorem scientiæ gyrum compellunt, et ad ea ipsa, quæ ratione cognoscuntur, venient minus instructi ad proficiendum. Sunt enim in natura rerum non pauca, quibus vel percipiendis, vel explicandis plurimum affert divina doctrina luminis. Nec raro, pœnas de superbia sumpturus, sinit illos Deus non vera cernere, ut in quo peccant, in eo plectantur. Utraque de caussa permultos sæpe videre licet magnis ingeniis exquisitaque eruditione præditos, tamen in ipsa exploratione naturæ tam absurda consectantes, ut nemo deterius erraverit.

Certum igitur sit, intelligentiam in vita christiana auctoritati divinæ totam et penitus esse tradendam. Quod si in eo quod ratio cedit auctoritati, elatior ille animus, qui tantam habet in nobis vim, comprimitur et dolet aliquid, inde magis emergit, magnam esse in christiano oportere non voluntatis dumtaxat, sed etiam mentis tolerantiam. Atque id velimus meminisse, qui cogitatione sibi fingunt ac plane mallent quamdam in christiana professione et sentiendi disciplinam et agendi, cuius essent præcepta molliora, quæque humanæ multo indulgentior naturæ, nullam in nobis tolerantiam requireret, aut mediocrem. Non satis vim intelligunt fidei institutorumque christianorum: non vident, undique nobis occurrere *Crucem*, exemplum vitæ vexillumque perpetuum iis omnibus futurum, qui re ac factis, non tantum nomine, sequi Christum velint.

Vitam esse, solius est Dei. Ceteræ naturæ omnes participes vitæ sunt, vita non sunt. Ex omni autem æternitate ac suapte naturâ *vita* Christus est, quo modo est veritas, quia Deus de Deo. Ab ipso, ut ab ultimo augustissimoque principio, vita omnis in mundum influxit perpetuoque influet: quidquid est, per ipsum est, quiquid vivit, per ipsum vivit, quia *omnia* per Verbum *facta sunt, et sine ipse factum est nihil quod factum est*. — Id quidem in vita naturæ: sed multo meliorem vitam multoque potiorem satis iam tetigimus supra, Christi ipsius beneficio partem, nempe *vitam gratiæ*, cuius beatissimus est exitus *vita gloriæ*, ad quam cogitationes atque actiones referendæ omnes. In hoc est omnis vis doctrinæ legumque christianorum ut *peccatis mortui, iustitiæ vivamus* (I. Pet. 2, 24), id est virtuti et sanctitati, in quo moralis vita animorum cum explorata spe beatitudinis sempiternæ consistit. Sed vere et proprie et ad salutem apte nulla re alia, nisi fide christiana, alitur iustitia. *Iustus ex fide vivit* (Galat. 3, 11). *Sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. 11, 6). Itaque sator et parens et altor fidei Iesus Christus, ipse est qui vitam in nobis moralem conservat ac sustentat: idque potissimum Ecclesiæ ministerio: huic enim, benigno providentissimoque consilio, administranda instrumenta tradidit, quæ hanc, de qua loquimur, vitam gignerent, generatam tuerentur, extinctam renovarent. Vis igitur procreatrix eademque conservatrix virtutum *salutarium* eliditur, si disciplina morum a fide divina diiungitur: ac sane despoliant hominem dignitate maxima, vitaque deiectum supernaturali ad naturalem perniciosissime revolvunt, qui mores dirigi ad honestatem uno rationis magisterio volunt. Non quod præcepta naturæ dispicere ac servare recta ratione homo plura non queat: sed omnia quamvis dispiceret et sine ulla offensione in omni vita servaret, quod nisi opitulante Redemptoris gratia non potest, tamen frustra quisquam, expers fidei, de salute sempiterna confideret. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes; et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet* (Io 15, 6). *Qui non crediderit, condemnabitur* (Marc. 16, 16). Ad extremum quanti sit in se ipsa, et quos pariat

fructus ista divinæ fidei contemptrix honestas, nimis multa habemus documenta ante oculos. Quid est quod in tanto studio stabiliendæ augendæque prosperitatis publicæ laborant tamen ac pæne aegrotant civitates tam multis in rebus tamque gravibus quotidie magis? Utique civilem societatem satis aiunt fretam esse per se ipsam: posse sine præsidio institutorum christianorum commode se habere, atque eo, quo spectat, uno labore suo pervenire. Hinc quæ administrantur publice, ea more profano administrari malunt: ita ut in disciplina civili vitaque publica populorum vestigia religionis avitæ pauciora quotidie videas. At non cernunt satis quid agant. Nam submoto numine recta et prava sancientis Dei, excidere auctoritate principe leges necesse est, iustitiamque collabi, quæ duo firmissima sunt coniunctionis civilis maximeque necessaria vincula. Similique modo, sublata semel spe atque expectatione bonorum immortalium, pronum est mortalia sitienter appetere: de quibus trahere ad se, quanto plus poterit, conabitur quisque pro viribus. Hinc æmulari, invidere, odisse; tum consilia teterrima: de gradu deiectam velle omnem potestatem, meditari passim dementes ruinas. Non pacatæ res foris, non securitas domi: deformata sceleribus vita communis.

In tanto cupiditatum certamine, tantoque discrimine, aut extrema metuenda pernicies, aut idoneum quærendum mature remedium. Cœrcere maleficos, vocare ad mansuetudinem mores populares atque omni ratione deterrere a delictis providentia legum, rectum idemque necessarium: nequaquam tamen in isto omnia. Altius sanatio petenda populorum: advocanda vis humanâ maior, quæ attingat animos, renovatosque ad conscientiam officii, efficiat meliores: ipsa illa nimirum vis, quæ multo maioribus fessum malis vindicavit semel ab interitu orbem terrarum. Fac reviviscere et valere, amotis impedimentis, christianos in civitate spiritus; recreabitur civitas. Conticescere proclive erit inferiorum ordinum cum superioribus contentionem, ac sancta utrinque iura consistere verecundia mutua Si Christum audiant, manebunt in officio fortunati aeque ac miseri: alteri iustitiam et caritatem sentient sibi esse servandam, si salvi esse volunt, alteri temperantiam et modum. Optime constiterit domestica societas, custode salutari metu iubentis, vetantis Dei: eademque ratione plurimum illa in populis valebunt, quae ab ipsa natura praecipiuntur, vereri potestatem legitimam et obtemperare legibus ius esse: nihil seditiose facere, nec per coitiones moliri quicquam. Ita, ubi christiana lex omnibus præsit et eam nulla res impediat, ibi sponte fit ut conservetur ordo divina providentia constitutus, unde efflorescit cum incolumitate prosperitas. Clamat ergo communis salus, referre se necesse esse, unde numquam digredi oportuerat, ad eum qui via et veritas et vita est, nec singulos dumtaxat, sed societatem humanam universe. In hanc velut in possessionem suam, restitui Christum dominum oportet, efficiendumque ut profectam ab eo vitam hauriant atque imbibant omnia membra et partes reipublicae, iussa ac vetita legum, instituta popularia, domicila doctrinae, ius coniugiorum convictusque domestici, tecta locupletium, officinae opificum. Nec fugiat quemquam, ex hoc pendere magnopere ipsam, quæ tam vehementer expetitur, gentium humanitatem, quippe quæ alitur et augetur non tam iis rebus, quæ sunt corporis, commoditatibus et copiis, quam iis, quæ sunt animi, laudabilibus moribus et cultu virtutum.

Alieni a Iesu Christo plerique sunt ignoratione magis, quam voluntate improba: qui enim hominem, qui mundum studeant dedita opera cognoscere, quam plurimi numerantur; qui Filium Dei, perpauci. Primum igitur sit, ignorationem scientia depellere, ne repudietur aut spernatur ignotus Quotquot ubique sunt, christianos obtestamur dare velint operam, quoad quisque potest, Redemptorem suum ut noscant, qualis est: in quem ut quis intuebitur mente sincera iudicioque integro, ita perspicue cernet nec eius lege fieri quicquam posse salubrius, nec doctrina divinius. In quo mirum quantum allatura adiumenti est auctoritas atque opera vestra, venerabiles Fratres, tum Cleri totius studium et sedulitas. Insculpere populorum in animis germanam notionem ac prope imaginem Iesu Christi, eiusque caritatem, beneficia, instituta illustrare litteris, sermone, in scholis puerilibus, in gymnasiis, in consione, ubicumque se det occasio, partes officii vestri præcipuas putatote. De iis, quæ appellantur *iura hominis*, satis audiit multitudo: audiat aliquando de iuribus Dei. Idoneum tempus esse, vel ipsa indicant excitata iam, ut diximus, multorum recta studia, atque ista nominatim in Redemptorem tot significationibus testata pietas, quam quidem saeculo insequenti, si Deo placet, in auspicium melioris ævi tradituri sumus. Verum, cum res agatur quam non aliunde sperare nisi a gratia divina licet, communi studio summisque precibus flectere ad misericordiam insistamus omnipotentem Deum, ut interire ne patiatur, quos ipsemet profuso sanguine liberavit: respiciat hanc propitius ætatem, quæ multum quidem deliquit, sed multa vicissim ad patiendum aspera in expiationem exanclavit: omniumque gentium generumque homines benigne complexus, meminerit suum illud: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (Jo. 12, 32).

Auspicem divinorum munerum, benevolentiæque Nostræ paternæ testem vobis, venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus

Datum Romæ apud S. Petrum die 1 Novembris An. MDCCCC, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

LEO PP. XIII.

Johannes von Müller über Christus und Papst.

Der hochwst. Bischof von Basel übersandte uns das Rundschreiben Leo XIII. über Jesus Christus den Erlöser mit nachstehendem Citate aus **Johannes von Müller** (Ueber die welthistorische Bedeutung des Christentums) – das heute mehr als je namentlich in unserm Schweizerlande Beachtung verdient.

»Der Papst ist nicht Antichrist. Jeder Christ, welcher nicht bekennt, dass Jesus Christus Mensch geworden, ist nicht aus Gott und solches ist das Merkmal des Antichrist. Dieses erklärt uns der Jünger, den Jesus lieb hatte. Nun hat der Papst nie das geleugnet. Sehen sie wohl zu, dass der Antichrist nicht bei denen ist, die über den christlichen Glauben so viel kapitulieren, dass Jesus bald nicht mehr der Christus ist, noch der Menschgewordene, sondern der jüdische Sokrates, ein blasser Mensch bleibt.«

Das Wort des Papstes über den Erlöser wird auch in nichtkatholischen Kreisen bei vielen ähnlich wirken wie das über die Bibel — für die edelsten Geister befreiend begeisternd, für andere mit hohem Ernste warnend! Schreiben wir das vom hochwst. Bischof eben citierte herrliche Wort, das der erlauchte Geschichtschreiber dem Schweizervolke für das damals anbrechende Jahrhundert wie im Programm mitgab — auch über die Portale unserer Jahrhundertwende.

Möge Jesus, wenn er mit Forderungen des Christentums auch an den Portalen unserer Parlamente anklopft, die unter der Morgenröte des neuen Jahrhunderts das schweizerische Recht ausbauen, nicht ungehört und unbeachtet bleiben.

Möge der Gedanke an Christus den Erlöser auch die gläubigen Protestanten mit uns einen, wo immer es im Schweizerlande gilt, dem Heiland Türen zu öffnen und Türschliessern zu wehren!

Der Psalm 41.

Eine Betrachtung für die Allerseelenzeit.

Betrachten wir in aller Kürze den 41. Psalm in der III. Nokturn des Totenofficiums: Quemadmodum desiderat.

Sehr wahrscheinlich fällt die Abfassung dieses Psalmes in die Zeit des Absalomschen Aufstandes (vgl. 2. Kön. 15). David flieht mit wenigen Getreuen, von Semei gelästert und mit Steinen beworfen, hinaus über Bahurim in die rauhe judäische Gebirgswüste, hinab durch Felsenklüfte und Engpässe auf der Jerichostrasse, wo später die rührende Geschichte spielt, die der Heiland vom barmherzigen Samaritan erzählt — hinaus wieder rastlos in die Wüste am Felshorn Quarantania, hinab, tief hinab zum Jordan, der hier in mehr als dreissig Katarakten dem toten Meere zurauscht (V. 8) und neuerdings wie eine gehetzte Hindin hin ins Ostjordanland, wo er in öder, sonnenverbrannter Wüste umherirrt oder an den wilden Ufern des Jordans mit den von den Bergen niedersteigenden Hirschen und den Wüstentieren seinen Durst stillt. Gewaltiger aber brennt Davids Seelendurst im Lande der Verbannung — Hunger und Durst nach der Gottesnähe — nach der Bundeslade: «Gleichwie der Hirsch nach Wasserquellen lechzt, so lechzt meine Seele nach dir, o Gott! Es dürstet meine Seele nach Gott, dem Starken, Lebendigen: wann werde ich kommen und erscheinen vor Gottes Angesicht?» In diesem Lichte verstehen wir den buchstäblichen Sinne des Psalmes leicht. Aber ebenso nahe liegt nun die Anwendung dieses Sehnsuchtspsalmes, dieser wunderbaren religiösen Elegie auf die armen Seelen im Officium defunctorum.

Im Totenofficium beten ihn die armen Seelen in der Verbannung des Fegfeuers und wir mit ihnen, in ihrem Geiste: sie hilfehoffend aus unsagbarem Heimweh — wir helfend, sühnend, rettend, so Gott will. Trefflich bezeichnet die Antiphon des Psalmes die Grundstimmung der armen Seelen: es ist ein Hungern und Dürsten nach der Anschauung Gottes: Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando apparebo ante faciem tuam?

In Fegfeuerfinsternis und Fegfeuerflammen verzehrt von namenlosem Heimweh und wieder erfüllt von unsagbarer Hoffnung, betet die arme Seele: Gleichwie der Hirsch nach Wasserquellen, so lechzt meine Seele nach dir, o Gott. Es dürstet die Seele im Fegfeuer, die einsieht, dass Gott ihr Ziel und Glück ist (vgl. Psalmüberschrift) — die von nichts mehr abgezogen wird, seitdem ihr der Tod den Zauberspiegel der Phantasie am letzten Meilenstein des Lebens in Stücke schlug — ja es dürstet die Seele nach Gott dem Starken, Lebendigen. Wann wird der Augenblick kommen, in dem es heisst: Geh' ein in die Freude deines Herrn! Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Unser Gebet kann diesen Augenblick für die armen Seelen beschleunigen und ebendamit auch den eigenen Tag unseres Erscheinens vor Gottes Angesicht (V. 2 u. 3). Unterdessen aber klagt und seufzt die Seele: «Es sind mir meine Tränen Brot bei Tag und Nacht, da man mir täglich sagt: wo ist dein Gott?» (V. 4.) Wo ist dein Gott — so sprechen Strafen und Drangsale, welche die Seelen im Fegfeuer noch zurück behalten! Wo dein Gott? so klagt in namenlosem Schmerz die Seele selbst? Ja, daran denk' ich und schütte meine Seele in mir aus allein bei mir; dass ich (einst) zum Ort des wunderbaren Zeltes hin zum Hause Gottes walle unter Jubelstimmen und Lobpreisungsrufen — Festmahlsschall! (V. 5.) Wie alle Gedanken Davids in der Wüste immer wieder dem Tag zueilten, an dem er wieder zum wunderbaren Zelt, zur Bundeslade wallen könnte — so denken, sehnen, rufen die armen Seelen mit allen Fasern ihres Wesens nach dem Tage ihres Einzugs in das wunderbare Zelt, ins Allerheiligste des Himmels. Wir fühlen Schmerz und Hoffnung mit, wir beten mit den armen Seelen, ganz in ihre Gefühle versenkt: Was bist du traurig, meine Seele, warum verwirrst du mich: hoffe auf Gott; denn Ihn werd' ich doch preisen: meines Antlitzes Heil und mein Gott!

Neuerdings fällt der Psalmensänger im 7. und 8. Vers in den Schmerz seines heiligen Heimwehs nach Jerusalem zurück. Vom Ostjordanlande her mit den fernen Bergen des grossen und kleinen Hermon und den Hügeln der Verbannung grüsst er das heilige Gezelt der Gottesnähe. An den Katarakten des Jordan sitzt er. Das Brausen der Wasserfälle, in denen ruhelos Flut über Flut von Abgrund zu Abgrund stürzt, wird ihm zum Bilde seiner Leiden, zum Bilde der Drangsale, die der Herr über ihn herfluten lässt. — Welch' ein Fegfeuerbild aber zeichnet uns die Kirche mit denselben Versen im Totenofficium. Selber im Geiste im Fegfeuer weilend, hören wir die armen Seelen beten, und beten in lebendigem Mitleiden und Mitgefühl mit ihnen, als ginge es unsere eigene Seele an (V. 7 u. 8). Verwirrt in mir ist meine Seele: drum denk ich dein, o Gott, vom fernen Land, vom Fegfeuerberge her! Ein Abgrund des Elends ruft dem andern zu im Tosen der Wasserstürze deiner Strafen. All die Wogenberge deiner Rache, die Wellenfluten deines Fegefeuers sind über mich gegangen! Wehe dem Schifflein meiner Seele, über das unten im gärenden glühenden Becken die Feuergüsse niederbrausen, über das wie bei der Sündflut die Katarakte des Himmels sich ergiessen: all deine Strudel und deine Fluten gingen über mich dahin (Jonas. 2,4): Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum — omnia excelsa tua (deine Wogenberge) et fluctus tui transierunt super me. O dass auch der Schmerzen Abgrund dem Abgrund deiner Barmherzigkeit zuriefe!

Wie war es anders vordem! (V. 9. 10.) «Einst» — im Leben «spendete er mir am Tage seine Huld» und «des Nachts» legte er mir «Sein Loblied in den Mund. Jetzt ring' ich mühsam im Gebet. Jetzt ist nur ein angstvoll Flehen in mir» (Apud me oratio Deo vitæ meæ). So sprech' ich denn zu Gott: Mein Hort bist du (Hebr.: «mein Fels bist du» in Unglückswogen). Warum vergisst du mein (im Fegfeuer) und warum gehe ich trauernd einher, indes der Feind mich schlägt? Als ob man mein Gebein zermalme, so schmähen meine Dränger (die Sünden, die Sündenstrafen, die schadenfrohen bösen Geister), meine Feinde mich, indem sie alle Tage zu mir sagen: wo ist dein Gott?» (V. 10. u. 11.) Wie lässt sich doch all das Schuldbewusstsein und der Schmerz des Fegfeuers gerade in diese eben citierten Worte fassen: dieser Schmerz mit seinem ganzen Inhalt: die pœna damni: ratione boni quo interdum privantur — ratione amoris vehementissimi quo animæ separatæ in Deum feruntur, rationis cognitionis, qua separationis temporaneæ causas nugas quasdam agnoscunt — dazu die pœna sensus, cuius saltem maxima iuxta S. Bonaventuram (in 4. sent. dist. 20. art. 1. q. 2) quamlibet huius vitæ pœnam præcellit. Wie schön kleidet sich aber auch die Gewissheit des Heils im Fegfeuer und die Unmöglichkeit, weiterhin zu sündigen in die immer mehr vom seligen Hoffnungslicht überstrahlten Schlussworte des Psalms: Warum bist du traurig, meine Seele? und was verwirrst du mich?

Hoffe auf Gott, denn wahrhaft, ihn werde ich noch preisen: meines Antlitzes Heil und mein Gott.

Es ist freilich unmöglich, alle diese Gedanken bei der Recitation eines Psalmes festzuhalten. Das Betrachten eines solchen Psalmes aber wird auf lange hinaus das officium wieder befruchten, und der Gedanke, dass wir ex persona der leidenden Seelen beten, gar manchen Vers plötzlich in neuem Lichte zeigen.

Es ist selbstverständlich, dass wir aus einem solchen sensus accommodatus, der übrigens streng auf dem Litteralsinn baut, durchaus keine Beweise für das Fegfeuer holen dürfen. Aber es ist ebenso gewiss, dass wir mit vollem Rechte solche Gebetsinterpretationen in die Psalmen legen dürfen: die Kirche leitet uns selbst dazu an und überdies liegt es in der Natur der Psalmen, wie wir zu Anfang ausführten:

Noch eines! Bekanntlich interpretiert die Kirche den Psalm 41 (und 42, der mit ihm ein Ganzes bildet) mit Vorliebe auch eucharistisch (vgl. Fronleichnamsofficium). Seine Betrachtung könnte auch eine Anbetungsstunde erfüllen, namentlich in dieser Seelenzeit, wenn wir Vers für Vers erst eucharistisch und dann wie oben als Fegfeuerpsalm betrachten. Es vereint sich dann unsere Sehnsucht nach dem verhüllten Jesus im Tabernakel mit der der Seelen nach dem enthüllten Jesus! Es ist derselbe Jesus! Die eucharistische Einigung ist die höchste Höhe des Emmanuelgedankens hier auf Erden — nur noch überragt von der seligen Anschauung des enthüllten Emmanuel im Himmel. Er, der dort unverhüllt «das Brot der Engel» und der geretteten Seelen ist, ist auch für uns «das lebendige Brot, das vom Himmel gestiegen». Eucharistisches Gnadenleben ist die Knospe — himmlische Glorie die gesprosste Blume — nach deren Aufgang wir zugleich mit den armen Seelen rufen: Wie der Hirsch nach Wasserquellen lechzt, so sehnt sich meine Seele nach dir, mein Gott! (41, 1.) Wann werd' ich kommen und erscheinen vor deinem Angesicht? (41, 3.)

So vom Litteralsinn aus erfasst und dann zum Gefäss der seelenbewegenden Gedanken des betenden Christen gestaltet, dürfte der 41. Psalm in doppeltem Sinne «ein Lied zur Einsicht» werden — wenn wir die Psalmenaufschrift: «intellectus» (beschreibender Genitiv) nach dem Hebräischen und Griechischen also deuten dürfen. Singen und beten wir also den Psalm in erneutem Geiste den levitischen Söhnen Kores nach, die Leviten- und Sängerdienste in der Stiftshütte und im Tempel verrichteten und Dichter in ihren Reihen zählten. (1. Par. 9, 19. — 1. Par. 26, 1. Cf. die Ueberschrift des Psalmes.)

